

23

DISSERTATIONEM IN AVGVRalem MEDICAM

# GENERALIA DE FEBRIBVS TRAIDENTEM

PRAESENTE

D. IOANNE HENRICO SCHVLZE

MEDICINAE ELOQVENTIAE ANTIQVITATVM ET  
PHILOSOPHIAE PROFESSORE PVBLICO  
ORDINARIO

ACADEMIARVM IMPERIALIVM NATVRAE CVRIOSORVM  
ET PETROPOLITANAE VT ET REGIAE SCIENTIA-  
RVM SOCIETATIS BEROLINENSIS  
SODALE

PATRONO ATQVE PROMOTORE SVO  
AETATEM VENERANDO

PRO IMPETRANDO

## GRADV DOCTORIS

A. d. SEPT. MDCCXLII.

H. L. Q. C.

PVBLINE DEFENDET

A V C T O R

IOANNES GODOFREDVS ZIERHOLDVS

RAGOESSENSIS-SAXO.

---

HALAE MAGDEBURGICAE,

Typis IOANNIS CHRISTIANI HILLIGERI, Acad. Typogr.

GENERALIA DE FERRIBAS  
TRADITIONES

JOANNES HENRICO SCHULZE  
MEDICINAE PROFESSORIS ET  
HISTORICO ARCHAEOLOGICO  
ACADEMICARUM VITERBIENSIA  
ET PRAESES  
TATRONO AIAE ROMANORVM  
ARTIUM ET MARRAO  
EX LIBRIS

GRADA DOCTORIS

JOANNES GODOLPHUS SIEHENIUS

THEODORUS HALLER  
Johannes Christianus Haller, Augsburger

T  
VIRO

PLVRIMVM REVERENDO CLARISSIMO  
DOCTISSIMO

DOMINO

M. IOANNI MICHAELI  
ZIERHOLDO

ECCLESIAE RAGOESENSIVM PASTORI  
MERITISSIMO

PATRI OPTIMO

AETERNVMQVE VENERANDO

S. P. D.

FILIVS.

R.M.R.

Tam multa tamque magna sunt TVA, veneran-  
de Senex, in me amoris atque benevolentia  
monimenta, ut, quod non TIBI acceptum ferend-  
um sit, prorsus habeam nihil. Vsque adeo per TE  
& spiritum traho, & TVO munere literis consecra-  
tus traditusque sum, ut mirum videri haud debeat,  
quod praesentes, quos TIBI offero, riuuli, ex TVA  
scaturigine, Deo immortali ita jubente, progressi,  
rursus ad TE prolabantur. Excipe igitur gremio fœ-  
tum, eumque primum, qui abs TE primas duxit  
origines, TIBIQUE cultum, ac quicquid in se boni  
continere videtur, debet. Quem si probatum acce-  
ptumque TIBI videro, erit sane quam ob rem mi-  
hi, non summopere tantum gratuler, verum etiam,  
quodam veluti calcari concitatus, placere TIBI  
semper studeam. Vale, & me imposterum pa-  
terno animo, ut soles, complecti non  
dedigneris.

Dabam Halæ propter Salam  
d. xxx. August. MDCCXLII.

J. N. J.

MAGISTER IACOBUS JACOBI

J. N. J.

## GENERALIA DE FEBRIBVS.

### §. I.



**D**e vocis *febris* origine, haud facile quis. De vocis ori-  
quam certi quid dicere potest. Quidam gine.  
febrem a fervore dictam existimant:  
alii (a) a veteri voce februo i. e. lustro  
vel purgo, nec minus a februis, apud  
Latinos, teste FESTO, omnia ea, quæ purgamenti  
causa, in quibusunque sacrificiis, adhibebantur, de-  
notantibus, provenisse nomen hujus mali persuasum  
habent. Rursus nonnulli (b) illam germanicæ vo-  
ci *Feuer* originem debere suam, referunt: ex hac  
ratione forsan, quia veteres, uti ex illorum defini-  
tionibus, quas posteritati reliquerunt, apparet, fe-  
brem pro calore præternaturali, in corde accentio,  
venditarunt.

### §. II.

In febre, si non definienda, certe describenda, Veterum defi-  
plurimi veterum cum GALENO (c) faciunt, eam- nitiones de  
A 3 que  
febrie.

(a) vide SENNERTVM & PRIMEROSIVM in operibus de febri-  
bus sub initio.

(b) IOH. VAN BEVERWICK in dem Schatz der Gesundheit.

(c) Ante Galenum quidam medicorum, in primis ille medi-  
cinæ parens Hippocrates, erudite & multum de febribus  
disputa-

## 6 DISSERTAT. IN AVGVRALEM MEDICAM

que pro generali morbo corporis totius agnoscunt, in corde maxime sedem ejus querentes, in quo quippe calor ille accensus, ut totum corpus tandem ignem concipiatur, efficit. Esse autem GALENVS (*d*) febrem dicit, *unum ex numero morborum intemperie, quando in corde præter naturam caliditas generatur.* Eisdem fere definitioni AVICENNA (*e*) & Averroes, Arابum principes medicorum, subscribunt, nisi quod addant, *hunc calorem extraneum esse, accensum in corde, & procedentem ab eo, medianibus spiritu & sanguine, per arterias & venas, in totum corpus, & inflammari in eo inflammatione, que nocet operationibus naturalibus, non sicut caliditas iræ & laboris, quum non ultimatur, & impedit operationem ita, ut retineatur.* Horum castra multi non infimi nominis medici sequuntur, inter quos haud ultimum sibi vindicant locum *Primerofius, Sennertus, Fernelius, & alii,* quos commemorare longum foret.

## §. III

Veteres febrem pro labore habuerunt.

Quanquam de caloris febrilis natura & qualitate multum inter se differunt Galeni asseclæ: cum alii eundem igneum, alii autem ex calore nativo, alii præternaturale, alii extraneum esse adpellandum putant: Omnes in eo convenient tamen, nusquam quidquam

disputavit, quamvis nusquam, quid febris sit, definiverit, quod probabiliter fecit, quoniam ejus nomen πυρ sufficiens esse, ad malum determinandum, credidit.

(*d*) *in lib. de febrium differentiis Cap. III.*

(*e*) *Operum Tomo secundo Tr. 1. Cap. I. p. 1. Edit. Venetæ quæ apud Juntas prodidit 1596.*

quidquam, præter calorem, febres producere, in iisdemque peccare. Inter hos FERNELIVS (<sup>f</sup>) tres caloris hujus febrilis constituit classes, & ad primam elementarium simplicem refert, qui exuperantia duntaxat caloris naturalis sit, ad secundam, ex putrescente materia prognatum, ad tertiam, malignum & perniciosum. Quæ mens Fernelio in tradendis his caloris differentiis fuerit, vix Oedipus consequi potuisset, nisi in subsequente capite, ejusdem libri, tria summa genera febrium, nempe simplicis, puridae, & pestilentis, ex his caloris speciebus prognata, constituisset.

#### §. IV.

Ex omnibus his veterum opinionibus luculentter patet, illos, essentiam hujus morbi calorem esse voluisse, et si absque certo, imo propemodum nullo fundamento. Calor enim præternaturalis semper quidem in febribus adest, unde etiam signum aliquod febris constituit, ex quo, cum aliis coniuncto, facile nominalem febris ideam componere quis posset. Sed quia non reliquam symptomatum febris syndromen, e. g. frigoris sensum, pulsus non naturalem, dolorem capitum, aliaque febrium symptomata, exprimit, inde non pro hujus morbi essentia haberi debet, consequiturque, ex eo, veteres essentialem febris ideam a calore falso delumisse.

Calor falso  
pro essentia  
febris habetur.

#### §. V.

Perpixerunt istud jam dudem nonnulli ævi non recentiorum stri nonnullorum definitiones.

(<sup>f</sup>) Oper. Medic. Lib. I. C. I. p. 293. Edit. Ven. 1565.

stri medicinæ professores celeberrimi, eamque ob rem etiam hanc Galenicam definitionem, aliam hu-jus loco suppeditantes, rejecerunt. Inter hos illu-stris STAHLIVS (*g*) talem proposuit, scilicet *fe-brem esse salutarem conatum naturæ, quo, per motus secretorios & excretorios, materiam, corpori infensam, expellere nititur.* Quam autem, a dubio febrium fine, desumtam, multi admodum admittere dubitarunt, & argumentis im-pugnaverunt. Ideoque vir doctissimus IOANNES GODOFREDVS DE BERGER (*b*) professor ante aliquot annos Vitebergæ celeberrimus, eruditæ ad-versus illūstrem Stahlium disputavit, aliamque, si non omnibus absolutam numeris, tamen multo rei definiendæ convenientiorem, excogitavit, eamque ab arteriarum pulsu, calore præternaturali, & actio-num læsione desumfit. Ita enim *febris* inquit, *est pulsus frequens & velox, cum mutatione caloris naturalis, actio-nes lœdens.* Quæ quia a signis pathognomonicis, seu febribus propriis, nempe a pulsu arteriarum caloreque est desumpta, absurdâ utique non est, nomi-nalisque febris definitionis nomine digna esset, si modo pulsus arteriarum semper & in omni statu, temporeque febrili frequens & velox deprehenderetur.

### §. VI.

*In definitione genetica componenda, logici-tres nobis regulas potissimum tradiderunt, nimi-drum*

(*g*) in operibus medic.

(*b*) In disserr. de laude febris merito suspecta §. VI.

Qua ratione  
definitiones  
sunt construen-  
dæ.

rum ante omnia modum, quo aliquid fit, in definitio-  
ne esse exponendum: deinde notas, in definitio-  
ne recensitas, aliis rebus competere non debere, nisi  
definito: tandem ut notæ recensitæ conveniant et  
iam omnibus ac singulis, sub definito comprehen-  
sis speciebus, caute prospiciendum esse. Quia nunc  
hæ definitiones, in paragraphis præcedentibus  
prolatæ, non ita sunt compositæ, ut ex rationibus  
jam adductis patet, & logicorum regulæ postulant,  
quare recte agere videor, si ab illis discedo, deque  
commodiore atque aptiore sum sollicitus.

## §. VII.

Meo iudicio, si febris realem dare definitionem  
velimus, nullibi alias modum, quo febris fit, depre-  
hendimus, quam in sanguinis motu, qui a materia  
quadam, sanguini infesta, ita est turbatus, & depravatus,  
ut officium suum naturali modo, & structuræ  
corporis convenienter perficere non valeat. Docet  
istud pulsus arteriarum, qui semper præternaturaliter  
constitutus est, omnesque criticæ evacuationes  
febricitantium (i). In his enim malis constitutum  
si paulo attentius consideramus, contraque ea mor-  
bos etiam alios apud nos cogitemus, tunc in nullo  
alio sanguinis motum depravatum toto in corpore,  
nisi in febribus, observamus, adeo, ut quandocun-

B que

Realis febrium  
definitio qua-  
lis.

(i) e. g. si urinam febricitantium inspicias, nullo non tem-  
pore in illa deprehendes aliqua, quæ a naturali sanorum  
urina longe discrepant.

que is ipse corpus affligere coepit, extemplo percipiamus certo febris præsentiam, cuius essentiam indicat. Converti igitur semper oratio potest, ut dicere quis possit, ubi est sanguinis motus a materia quadam non naturali in toto corpore turbatus & depravatus, ibi febris est, & versa vice. Ideoque febris fiendi modum (*k*) sanguinis hunc in orbem motum in se complecti, & omnia ejus symptomata efficere, nullus medicorum facile in dubium vocabit. Neque adeo, si quis ea, quæ proposita sunt, vera esse pronunciet, facile potest inficias ire, febrem esse motum sanguinis, a materia quadam, sanguini infesta, turbatum & depravatum.

§. VIII.

*De nominali febrium idea.* Nominalem si quis desiderat, is exemplo BERGERI ab illis signis, quæ hunc motum indicant, ei- que semper adflunt, neque uspiam, quam in febri observari possunt, petere eandem debet, nimirum a pulsu præternaturali, laſione actionum, tandemque calore præternaturali, atque in eum fere modum concinnare, ut dicatur : *Febris est pulsus præternaturalis*

(*k*) A sanguinis depravato turbatoque motu, commode omnia febrium phænomena explicari possunt, nullo etiam contradicente. e. g. Frigus, si tomentosæ arteriarum extremitates a materia peccante obſtruuntur, ac inde atrito globulorum motusque sanguinis non ita, uti deberet, peragi potest, extremitatesque sanguinem sufficientem non accipiunt, inde tunc spasmatica fibrarum cutanearum contractio, sensusque frigoris in anima oritur; Calor autem, si motus depravatus & turbatus & frequens & velox deprehenditur, unde major globulorum attritio & calor auctior.

*lis, cum lastone actionum, & calore non naturali conjunctus.*  
 At si dicas, talem motum, talemque pulsum in omnibus pene morbis observari, cogites velim, tunc vitium istud febri sociatum esse, quae in medicorum scholis symptomaticis nomen obtinuit, & tam frequens atque inimica humano corpori est, ut recte quorundam libris sit proditum, *nunquam quenquam, nisi violentia morte raptum, vitam amississe sine febre* (1).

## §. IX.

Definitione pertractata & posita, ad causas Morbi cause  
 quae hoc morbi genus, hominibus frequentissimum, generales.  
 inducunt, transeamus. Quodsi ergo generaliter causas perpendimus, tres nobis potissimum pathologia medica patefecit. Primam quidem proximam seu immediatam, inter quam & morbum, nulla alia intervenit; & est in febribus idiopathicis, praeter naturale quid sanguini ipsi inhærens, ejusque motum depravans, in symptomaticis vero, alter morbus; secundam, quam antecedentem & remotam dicunt, corporis aptitudinem recipiendæ variae matterie peccantis indolem, prout habitus & temperamenta subjectorum variarint, denotat; tertiam, occasionalem, quae in vita genere & sex rebus non naturalibus est quærenda. Quo nunc lector benevolus mentem meam de causis eo melius perspicere possit, specialem de febribus referam casum.

B 2

Studio-

(1) Huic sententiae favent LOMMIVS in Obj. I, I, p. 1, &  
 PRIMEROSIVS de febribus p. 1.

Studioſus octodecim annos natus, temperamen-  
ti ſanguineo phlegmatici, a nimio halecī eſu, po-  
tuque cereviſiæ nimis copiolo, in febrem incide-  
bat intermittentem, quæ hunc fere in modum in-  
ceſſit. Postero, quam prædictis uſus eſt, die, artu-  
um tensionem & inprimis dorsi ſentiebat, quam ca-  
pitis gravitas, cum lassitudine corporis totius, ſub-  
sequuta eſt, & hanc tertio tandem die primus pa-  
roxysmus excepit, cum rigore ingruens, qui, priu-  
quam decurreret periodum ſuam, vomitus ſubpi-  
tuitofibilosus ægrumurgebat, cui finem ſuperve-  
niens calor mediocris faciebat, agmen claudente  
fudore, minus tamen copioso. Quarto post eſum  
die febris inducias ægro concesſit, ſemperque po-  
ſtea, dum durabat, alterum, cum corpus exercuiſ-  
ſet, diem, liberum ab accessione præſtabat, ſenſis cir-  
cuitibus definens. Quantum e Lommii obſerva-  
tionibus medicinalibus edocitus fui, febrem hanc  
tertianam, ſed ſpuriam eſſe, agnoscere debui: nam  
materia peccans ſubpituitofibila bile miſta fuit, quam  
cauſam proximam dico: cauſam antecedentem præ-  
buit temperamentum ſanguineo phlegmaticum: oc-  
caſionalem, nimius halecī & cereviſiæ uſus. Ex  
qua relatione quisque facile intelliget, quid ſibi ve-  
lit, iſte cauſarum apud medicos ordo. Ideoque et-  
iam curationem, quæ his cauſis oppoſita eſſet, in  
hunc fere modum institui. Ante tertiam accessionem  
vomitorium dedi: quod conſtabat radicis ipe-  
cacuanæ granis XX & tartari emetici grano uni-  
co. Iubebam autem illud accipere ante paroxy-  
ſum

sum hora una, præsumtis aliquot infusi theæ cya-  
this: cuius etiam usum singulis vomitionibus sub-  
jungendum suadebam. Hujus post ulum vomitio  
facilis successit, & copiosior sudor, quam antea,  
accessionem finivit. Tandem electuarium febriflu-  
gum præscripsi, ex corticis Peruviani pulvere &  
flavedine florum chamæmeli vulgaris, singulorum  
tesquidrachma, cum sufficienti quantitate syrapi  
florum papaveris rhœados subigendis, admixtis o-  
leorum destillatorum absinthii & caryophyllorum  
aromaticorum paucis guttulis. Hujus autem quan-  
tum cultri cuspidi hæret, singulis bihoris jubebam  
capere. Sexta accessio levissima, eademque febris  
finis exstlit.

## §. X.

Primaria febris symptomata seu effectus, fe- De differentiis  
brem comitantes, calor est, atque frigus, inde vul- febrium.  
gus das kalte und hizige Fieber nominat. Verum  
ut haec vulgi februm in duas classes partitio, mi-  
nus adæquata, minusque sufficiens a medicis judica-  
ta fuit, sic varii varias tradunt earum species, inter  
quos multos reperies, qui ex quolibet fere diverso  
febris symptomate novum febris genus configunt.  
Sed hi parum me movent: quoniam certus sum, ex  
his infinitis propemodum febris differentiis, nul-  
lam in artem salutarem manare utilitatem. Quum-  
que secundum LEIBNIZI (m) principium indiscer-

B 3

nibi-

(m) Hoc principium demonstravit illustr. WOLFIUS in *instit.*  
*metaph.*

nibilium, nunquam absolute eadem febris dari pos-  
sit, licet illi, quem singendi talis libido incessit,  
unicuique febri, in unoquoque subjecto, aliud no-  
men imponere pulchrum videatur: quale exinde  
pretium operæ reportent, plane non video. Mi-  
hi illa ab invadendi modo desumta divisio omnium  
maxime placet, quia a communi usu loquendi non  
multum discedit, facileque mente concipi, & omnes  
species commode in se comprehendere potest.  
Quam ob rem vulgo dictæ die falten sub specie in-  
termittentium, die h̄zigen sub specie continuarum  
referam: principium ab intermittentibus sumturus.  
Quarum paroxysmi, si ita redeunt, ut unus alte-  
rum e vestigio sequatur, febrem faciunt continu-  
am: uti semitertianam, si unus paroxysmus conti-  
nuæ, alter tertianæ intermittentis ægro molestus sit.  
Quam intermittentium variam accessionem, si igno-  
rat ad praxin accedens medicus, non potest non  
febres, maxime inter se plerumque dissidentes, confun-  
dere, nec sine suo dedecore, & ægrotantis damno,  
ad quod genus tales accessiones sint referendæ,  
dubitare.

## §. XI.

De febre in-  
termittente.

Est autem febris intermittens, consensu omni-  
um medicorum, quæ perfectam apyrexiam seu in-  
ter-

*metaph. §. 686. & BVLFINGERVS in dilucid. philosoph. Cu-*  
*jus veritatem etiam ipsa quotidiana satis confirmat ex-*  
*perientia.*

termissionem, in qua corpus a febre liberum est, ægris indulget, & per intervalla diversis redit paroxysmis. Ejus duo (n) potissimum summa genera constitui possunt, quorum alterum tertiana, alterum quartana in se continebit. Atque haec quidem ratione signorum in primis inter se differunt, tempus vero a quo nomen habent, admodum parum ad illarum cognitionem & curationem confert.

### §. XII.

Febris, a cuius uno ad alterum usque paroxysmum octo & quadraginta horæ numerari possunt, tertiana nominatur. Quæ si legitima seu exquisita esse debet, his signis fœse prodit. Primo paroxysmo rigore morbosus agitatur, qui ab uno ad alterum decrescit, post hunc vomitus seu alvus bilioſa se edit, tandem calor copiosusque sudor paroxysmum finiunt. Quæ si ita sint, nonnunquam septimus paroxysmus febri finem, solo exacto vivendi genere, absque observato medicamentorum usu, imponit. Materia igitur in tertianis veris peccans, bilioſa deprehenditur.

### §. XIII.

(n) In febrium divisione potissimum LOMMIVM in *observationibus* suis *medic.* sequor, qui haec duo genera febrium intermittentium ita describit, ut paucas febres veras, multas contra spurias habeamus. De quotidiana intermittere, & ipse quidem facit mentionem laudatus auctor, sed quuum haec febris, ut moneret, rara avis sit, & ratione signorum & materiae peccantis parum, nisi quod quotidie ingruit, a quartana differat, commode sub specie quartanarum triplicatarum comprehenditur.

## §. XIII.

De quartana  
exquisita seu  
vera.

At, quæ ab uno ad alterum usque paroxysmum, duas & septuaginta horas interjectas habet, quartana dicitur, hisque signis cognoscitur. In primis accessionibus, horror levis incidit, qui in sequentibus in vehementem rigorem usque accrescit, postea alvus seu vomitus, sed pituitosus, subsequitur, tandem calor, moderatior tamen quam tertianis, & sudor, in aliquibus copiosus, unumquemque paroxysmum ad finem perducunt. Quibus patet materiam peccantem in quartanis esse pituitosam, morbumque hunc semper diu trahere (o). Reliquæ omnes intermitte-

(o) Pituita si peccat in sanguine, ob visciditatem insitam minus solvi potest quam bilis, in primis si cum viscerum labore quartanam inducit, fine qua tamen raro, auctorum observationibus, quartanam aedesce perhibetur. Ideo facile quoque in hydropem transit, cum ob paroxysmorum copiam, corporis fibrae laxiores fiant, extendantur, tonumque naturalem amittant, ut deinde officium suum præstare nequeant, & materiæ viscida in spatiolis suis hospitium concedant, quæ, ubi introiit, stagnat, & per quotidiam similis materiæ accessionem, ejusdemque collectionem, hydropem generat. Utique si violenter suppressa, non fideliter ac patienter curata fuerit. Solent antiqui hanc febrem melancholico humoris potius, quam pituitæ, tribuere. Sed quum ille humor, nisi sit pituita crassior & immobilior, haud possit intelligi quid sit, aut ubi hæreat, a plerisque hodie reprobatur. Quin non repugnaverim valde illis, qui aliquando hujus morbi causam non tam humoribus, quam toti solidorum compagi inha-

rere

mittentium species, quarum auctores fecerunt mentionem, ut sunt quintanæ, sextanæ, septimanæ &c. ad duas has classes commode referri possunt, quia, ratione paroxysmorum, aut de tertianis, aut de quartanis, aut de ambabus simul aliquid participant. Igitur etiam sub nomine spuriarum comprehendendæ, ab iisque denominandæ erunt, quibus verarum quam proxime accedunt.

## §. XIV.

Febris continua, vulgo das hiszige Sieber, est, De febre con-  
quæ, a primo invasionis tempore, sine intermissione tinua in ge-  
perpetuo corpora tenet, dum omnino definit ac  
cessat. Dividiturque in continuam simpliciter ta-  
lem seu continentem, & continuam remittentem.

## §. XV.

Febris continua simpliciter talis seu conti- De febre con-  
nens, Græcis σύνεχος, est, quæ una tantum, eaque tinentem.  
simplici accessione, sine remissione & intermissione  
ægrum exercet, usque dum ad finem decurrat. Ad  
hanc commode retuleris

C

I.Ephe-

rere docent: quod apparet in aliquibus, qui eo tempo-  
re, quo hac febre detenti fuerunt, in conspicuam proce-  
ritatem excreverunt, neque liberari antea potuerunt, quam  
corporis incrementum ad finem deductum fuit. Exem-  
plum dat WIERVS in observ. pag. 40. aliudque mihi a D.  
D. PRAESIDE relatum est, juvenis, qui per XXXVI. men-  
ses quartana laborabat, & interea ultra integrum ulnam no-  
stratem extendebatur.

- I. Ephemeram sive Diariam, quæ omnium mitissima febris est, & ultra diem, si legitima esse debet, non durat;
- II. Causum legitimum sive summum gradum omnium febrium ardentium, inde Latinis febris ardentis nomine notum, qui calore igneo, totum corpus exurente, cum lingua sicca, crassa, subnigra, oreque arido, affligit corpora;
- III. Pestem, sive summum gradum omnium febrium malignarum, acutarum contagiosarum, cum carbunculis atque bubonibus;
- IV. Febrem lacteam puerpararum, quæ tertia aut quarta plerumque die post partum, ante lactis in mammis expeditam secretionem, puerperas exercet.
- V. Haud raro, teste Lommio, febres etiam putridæ veterum, nobis inflammatoriarum dictæ, ut sunt pleuriticæ, Typhodes, qui erysipelas comitem habent, morbillosæ &c. ingruere solent.

### §. XVI.

De febre remittenti continua illiusque diuisione.

Febris continua remittens (*p*) seu periodica, Græcis *οὐεξήσ* nuncupata, ea febris dicitur, quæ quidem semper adest, sed uno paroxysmo finito, remissionem præbet, i. e. quæ exacerbationis & remissionis tempora agnoscit, & per plures finitur paroxysmos

(*p*) De tempore remissionis & intermissionis, curiose CELSVS, libr. III. cap. 3. monuit propiciendum, ne cum tempore remissionis confundatur, id quod intermittentibus convenit.

smos. Dividitur, ratione durationis, in brevem & longam seu chronicam.

§. XVII.

Febris continua periodica brevis est, quæ qua-  
tuordecim intra dies ad finem properat, interdum <sup>timua brevi.</sup>  
tamen ad vigesimum & trigesimum usque diem ex-  
tenditur (q). Ad hanc febrium classem pertinent:

- I. Causus illegitimus seu periodicus.
- II. Febres catarrhales.
- III. Omnes febres duplices atque triplices factæ ex  
intermittentibus, & semitertiana.
- IV. Febres putridæ seu inflammatoriæ, ut sunt eæ,  
quas Græco nomine ἔγαρθηματικὲς adpellamus.
- V. Febres pestilentiales, & ut multa in pauca con-  
feram, fere omnes, paragrapto XV. prolatæ, e-  
phemera & causo legitimo exceptis.

§. XVIII.

Febris continua longa seu chronica est, quæ De febre con-  
fensim tardeque cursum absolvit suum, & per unum <sup>timua longa.</sup>

- I. Hectica vera seu tabes, diciturque alias febris  
lenta tabifica: quæ est consumptio corporis len-  
ta, a quacunque causa, e. g. sudore colliquativo,  
seminis profluvio &c.
- II. Phthisis in genere ita dicta, quæ est lenta con-  
sumptio corporis ab ulcere interno, e. g. renum,  
uteri, hepatis, lienis &c. Quod si ab ulcere pul-

C 2 monum

(q) Princeps medicorum, illustris HOFFMANNVS noster,  
ad quadragesimum etiam prorogari eam posse, observavit.

monum veniat, in specie a medicis phthisis pulmonalis nuncupatur.

III. Omnes febres a mala nutritione ortæ, ut sunt cachexia, sive malus habitus corporis cum tumore, ab obstruzione dependens, vel hepatis, vel lienis, vel hæmorrhoidum, vel mensium, qui aut emanent (r), aut intercipiuntur (s), aut supprimuntur (t).

### §. XIX.

*Quæ periodicae & vagae nuncupantur.*

De periodicis in genere est notandum, quod, si illarum paroxysmi statim temporibus revertantur, licet unam aut alteram horam anticipent, aut postponant, periodicæ: si vero inordinate seu incertis diebus & horis ægrum affligant, vagæ seu erraticæ nuncupantur.

### §. XX.

*De benignitatis malignitatisque notione.*

Omnia hæc febrium genera, quia vel cum malignitate, vel benignitate ingruere possunt, inde aut malignæ, aut benignæ, nominari a practicis solent, quorum terminorum si explicationem addidero, non in epite facere videbor. Febrem vocant benignam, quæ solita sibiique simpliciter convenientia habet symptoma. Malignam vero appellant, si cum subita vi-

rium

(r) Emanere dicuntur, si virginibus, menses nondum paf-  
fis, ultra tempus pubertatis menstrualis purgatio emanferit.

(s) At intercipiuntur menses, si fluere desinunt, & brevi post iterum fluent.

(t) Suppressionem mensium dicunt, si menses fluentes pla-  
ne supprimuntur.

rium prostratione, sine causa manifesta, sub initium incidit, & magnitudo symptomatum morbo, ejusdemque temporibus, non respondeat. Alioquin neque calor, neque exanthemata, aliquid ad malignitatis notionem faciunt. Excipe carbunculos, si cum febre summe maligna, peste nimirum, sint conjuncti.

## §. XXI.

De febrium, in primis acutarum, eventu sive <sup>De Prognosi.</sup> prognosi difficulter medicus aliquid certi prædicere potest, quia illi cum physico corpore, multis mutationibus obnoxio, res est. Inde qui in præsagiis ferendis cautum se exhibet, atque, ad quæsita, dubiis terminis respondere consuevit, ille suæ famæ optime consuluisse putandus est. Non enim immetato medicinæ conditor HIPPOCRATES (<sup>u</sup>) inquit. *Morborum acutorum non omnino certæ sunt prædictiones, neque mortis neque salutis.* Sed curiosa & de futuris anxia plebs, omnium primo a medicis quærit, an ægrotus evasurus aut moriturus sit? Tunc igitur prudens medicus saltim, post indiciorum antecedentium & consequentium, tam animæ, quam corporis morbos, accuratam perlustrationem & cognitionem, probabilem rei eventum declaret, ne & se, & artem, ludibrio exponat. Indicia autem signaque, ex quibus morbi eventus judicandus est, optime LOMMIVS (<sup>v</sup>) tradidit. Quare ne, si ea enumerare velim, actum agere, quod ajunt, videar, ad hujus perelegantem librum lectorum relego.

## C 3

## §. XXII.

(<sup>u</sup>) Sect. II. aphor. 19.

(<sup>v</sup>) In observat. medic. libro III. Edit. Wedel. anni 1739.  
p. 295. ad finem usque totius libri.

## GENERALIA DE FEBRIBVS.

## §. XXII.

De cura.

Curam si in genere spe&tes, ita instituenda venit, ut ante omnia, quicquid sanguinis motus depravationem efficiat, sollicite queratur. Considerandum igitur, an morbus sit symptomaticus, aut idiopathicus, si que hoc comprehendatur, & vitium a se ipso, sine altero morbo, adest, ad indolem materiae peccantis est attendendum, & deinde eo respiciendum, quomodo ad exitum præparare ac disponere, deinde eliminare eam ex corpore possit: &, si natura quandoque viam querit criticam, tunc non temere turbari, sed multo magis, quantum fieri potest, in conatu laudato sublevari debet. Si est symptomaticus morbus, seu ab alio dependet, tunc ad morbum principem, tanquam ad febris causam, attendendum est: hic enim si tollatur, tollitur etiam febris. Sed & symptomatum est habenda ratio, si quod valde urgeat. Tandemque, omnibus rite perspectis, remedia, secundum varietatem causarum, constitutionemque corporum & temperamentorum, unicuique sexui, ætati, & regioni convenientia, ex fontibus diæticis, pharmaceuticis, vel etiam chirurgicis sumta, præscribenda erunt. Omnia vero, ut laudatus Senex (x) ait, secundum rationem facienti, si non succedant secundum rationem, non est transeundum ad aliud, manente eo, quod ab initio visum fuit.

## §. XXIII.

Epilogus.

Hæc sunt, lector benevole, generalia, quæ de febribus referre volui. Specialia si desideras, ea partim ex auctoriis in dissertatione allegatis, partim etiam ex aliis fide dignissimis scriptoribus addiscas necesse est. Quod super est, quam possum maxime rogo, velis laborum meorum primicias pro viribus ineuntis medici dijudicare, meque favore tuo dignum judicare. Vale.

(x) Sectione II, apor. 52.

F I N I S.

NOBILISSIMO ET DOCTISSIMO  
**DOM. CANDIDATO**

S. P. D.

PRAESES.

**N**on nouum fane est, sed per duo millennaria,  
quantum vestigia maiorum retro legere  
conceditur, perpetuum in medicina, ut dispute-  
tur de febrium ortu & causis, & ut capita schola-  
rum singula separata sententiam ab aliis pronun-  
ciant, ceterosque doctores erroris postulent. Ac sa-  
ne credo post mille annos, si medicina hominibus  
curæ futura est, semper nouas esse prodituras opi-  
niones, quarum auctores, si debili ingenio sunt, se-  
rio credent, si callido & perspicaci, omni arte si-  
mulabunt se credere & exploratum babere, quod  
quidem cum ignarissimis sciant, sed, quam bene pos-  
sunt, ad persuadendum apposito sermone in publi-

CUM

cum emittant. Ego quidem, qui pridem studeo terminos certae cognitionis humanae & ignorantiae peruestigare, illis triginta & octo annis, quibus medicinae consecratus viuo, circa febres illud didicisse profiteor, quod in causa proxima, antecedente & procatarcticis, quantum ad medendum satis est, assequi possumus, sed a plena & omnibus numeris absoluta theoria longe absimus. Dices forte, quid igitur nobis deest? Ego vero respondeo: parum sane si medico nos pede metimur: sed si subtilitates requirimus, & circuituum rationes explicare suscipimus, omnia. Bene autem habet, quod his nemo medicus, humano generi officium praestans, indiget. Sentio igitur TECVM, qui, more veterum medicorum, non ultra has tres causas progrederis. Gratulor TVIS studiis, in quatuor celeberrimis academiis fideliter arti salutari impensis, & vt reipublicae plurimum emolumentum afferant, vt ominor, ita serio appreco.

Scribebam die XXIX. Augusti

clcc XLII.

**P**ost caelos hostes, sevique pericula belli,  
Vt miles victor lata tropaea refert;  
Sic etiam studiis, tandem cum laude peractis,  
Et TE vietorem doctus Apollo probat,  
Præmia digna, TIBI dum cingit tempora laurus,  
Vt TVVS ad cœli sidera crescat honos.  
Gratulor hinc titulum Doctoris carmine lato:  
Nam sies patrii stella corusca poli.

*Hæc sunt, que gratulabundus adject*

**A. C. BEZEL**

Med.Cand.Opp.Rügian.

---

**D**u prangst nun bald im rothen Hute,  
Den Dir Hygea zugesadcht;  
Wie ist Dir wohl dabey zu muthe,  
Da Dich ihr Recht zum Doctor macht?  
Nicht wahr? Dein Herz vergift die Sorgen,  
Und denkt auf einen frohen Tag,  
Und lacht, daß man Dich noch vor Morgen  
Herr Doctor tituliren mög.  
  
So recht, genieß von Deinem Fleiße  
Die dir erwachsne süsse Frucht,  
Die Du mit Arbeit, Sorg und Schweiße  
Ben Tage, wie ben Nacht, gesucht,  
Die Mühe, so Du Dir gegeben,  
Bestimmt Dir jetzt den reichsten Lohn,  
Und lehret uns, ein solch Bestreben  
Gereue keinem Musen-Sohn.  
  
Geehrter Freund, Du hast das Glücke;  
Nun greif mit beyden Händen zu,  
Und brauche seiner helden Blicke,  
Nach vieler Last, zu Deiner Ruh.

**D**

**Gott**

Gott wird Dein Haupt mit Seegenkränen,  
Wo zu er schon die Zweige bricht:  
Vergiss nur in entfernen Gränzen  
Des Bundes unsrer Freundschaft nicht.

SAMVEL HAMBACH

Eperienis Hung. Med. Cand.  
Opponens.

Dum, dilecte mihi! medica bene doctus in arte,  
Ingenii clari das documenta TVI;  
Inquiris causas febris, medicamina profers,  
Curari dextre qua ratione queat.  
Iam nunc promeritam virtute, labore, coronam,  
Decernit studiis magnus Apollo TVIS.  
Numinis adfistat summi benedictio cōptis,  
Quo TIBI succedant prospera quæque, precor.  
Vade bonis avibus, sic TE ducente Minerva,  
Plus TIBI mercedis, vita diesque dabunt.  
*Accipe, Doctorande dignissime, amoris testificationem,  
quam offert nobiliss. Tui nominis cultor obser-  
vantissimus,*

SAMVEL PAVER

Poson. Hung. M. C. Oppon.

Sit, licet, infandum cuncti, contra omina, bellum,  
Contra fata Deum, perverso numine, poscant;  
Tela novent isti; clypeos & spicula tergant  
Illi; committat, Tyrrhenis alper ab oris  
Praelia, contemptor fidei, Mezentius; agmen  
Laufus agat, dignus patriis qui latior eset  
Imperis; ostentet equos, fatus Hercule saevo,  
Saevus Aventinus, cinctam serpentinibus, hydram,  
Gestans;

Gestans; Tiburti linquunt & mœnia fratres;  
Hisque superveniat, Volsca de gente, Camilla,  
Bellatrix, equites aptos prævertere ducens  
Vel rapidos, curſu, ventos celeresque sagittas,  
Quos nec terribilis magni Iovis ira, nec ignes,  
Nec Libyco superent, errantes monte, leones:  
TV tamen, heu, ZIERHOLD, quantum mutatus ab illis,  
Et tertici Mavortis opes & munera temnis.  
Vna TIBI cura est, didicisse fideliter artes,  
Quæ possint mollire feros, & reddere doctos.  
Quin & Apollineos expertus rite labores,  
Quas habeant herbæ vires, usumque medendi  
Scis, quibus auxiliis febris succurritur, item.  
Scilicet, ut Phœbi blandis agitatus in armis,  
Præmia percipias, opifer quæ mittit Apollo.  
Hæc TIBI, dilectos inter fors prima sodales,  
Conferri hocce die, grator. TE maximus orbis  
Conditor ex morbis jubeat portare triumphos.  
Tum TE perpetuo melior fortuna sequatur.

*Sic applandebat*

### SAMVEL CSERNANSZKY

Raieczio Trenchin. Hungar.

---

**G**audia magna paras, post tot discrimina rerum,  
Post fratris mortem, gaudia magna paras.  
Gaudia magna paras patri, matrique, sorori,  
Affini, fratri, gaudia magna paras.  
Gaudia magna paras cunctis, TIBI sanguine junctis,  
In primisque mihi, gaudia magna paras.  
Nam viridi lauru cingit TVA tempora Phœbus,  
Ac TIBI pro merito summus habetur honos.  
Ergo jure suo veri testantur amici  
Gaudia, dum vivas, DOCTOR AMICE, vocant:

D 2

Inque


Inque TVAM multi certant potare salutem,  
Proque illa læti plurima vota ferunt.  
Gratulor hinc & ego magnum TIBI, frater, honorem,  
Et precor, ex voto quo TIBI cuncta fluant.

*Hac properante calamo adiecit*

J. G. ZIERHOLDVS  
S. S. Theol. Stud.

**S**oll meine Poesie auch Deinen Fleiß besiegen?  
Und soll die Bruder-Pflicht ihr Freuden-Opfer bringen?  
So ist es ja gewiß, daß Du der Eltern Geist,  
Nach vieler Traurigkeit, durch Deinen Ruhm erfreust.  
Denn vormahls hörten sie nur Sterbe-Glocken klingen,  
Ihr Herze müste fast in tausend Stücke springen,  
Als eine Trauer-Post Welch nagedt Ungemach!  
Von ihres Sohnes Tod und schnellem Abschied sprach.  
Nun aber ändert sichs. Nach einem langen Weinen  
Läßt Gott nun wiederum die Gnaden-Sonne scheinen,  
Indem zu bessern Glück ihr Sohn und Müssen-Freund  
Sowohl im Doctor-Kleid, als Doctor-Huth, erscheint.  
Mein Brüderlicher Wunsch, den ich vorjezt bringe,  
Ist wohl aus treuer Brust; doch aber zu geringe;  
Allein ich weiß es schon, Du nimmst denselben an,  
Und weißt, er sei mit Gott und brüderlich gethan.  
Drum wünsch ich kurz und gut: Es möge Glück und Seegen  
Zu Deinem Wohlergehn so Grund, als Stufen legen;  
Und weihst Hygea Dich, als ihren Priester, ein,  
So magst Du ihr, und sie Dir selbst zur Zierde seyn.

Johann Gottlieb Zierhold  
Al. Regio-El. Misnenfis.




00A6282



Dario ✓



Farbkarte #13



23

DISSERTATIONEM IN AVGVRALEM MEDICAM  
**GENERALIA DE FEBRIBVS  
TRADENTEM**

PRAESIDE  
**D. IOANNE HENRICO SCHVLZE**

MEDICINAE ELOQVENTIAE ANTIQVITATVM ET  
PHILOSOPHIAE PROFESSORE PVBLICO  
ORDINARIO

ACADEMIARVM IMPERIALIVM NATVRAE CVRIOSORVM  
ET PETROPOLITANAЕ VT ET REGIAE SCIENTIA-  
RVM SOCIETATIS BEROLINENSIS  
SODALE

PATRONO ATQVE PROMOTORE SVQ  
AETATEM VENERANDO

PRO IMPETRANDO

**GRADV DOCTORIS**

A. d. SEPT. MDCCXLII.

H. L. Q. C.

PVBLINE DEFENDET

A V C T O R

**IOANNES GODOFREDVS ZIERHOLDVS**

RAGOESENSIS-SAXO.

---

HALAE MAGDEBURGICAE,  
Typis IOANNIS CHRISTIANI HILLIGERI, Acad. Typogr.